SIMONIS STAROVOLSCI

CAMALDVLA ARGENTINI

SIVE

De Laudibus inclyti Camaldulensis Ordinis, PP. Eremitarũ, propè Cracouiam, in monte Argentino.

ORATIONES IIII.

CRACOVIÆ,
In Officina Typogr. MATTHIÆ Andreouiensis
Anno Domini, 1623.

ORATIO I.

Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. *Eccleſ: XLIIII.*

APpoſitè ſanè & prudenter, *Montes domicilium ſapientiæ* veteres dixêre, ipſarumq́; Muſarum larem ceu in arce quadam, in altiſſimo Parnaſſi iugo finxére: quod in calamitatibus videlicet, & ignorantia, velut per gradus quoſdam ſit aſcenſus ad ſummitatem cognitionis, & animi per varios anfractus vagantis, non niſi in ſupremi Numinis contemplatione, velut in montis vertice quies. Quam equidem quietem poſſidere qui cupiunt, vitæ ſpeculatiuæ ſeſe totos addicunt, & in monaſteria potiſſimùm, ac ſi in montes excelſos, libentes confugiunt: vt

Vera animi quies, in contemplatione Dei.

eleuati illic per ſpeculationem, faciliùs hæc noſtra ima deſpicere poſsēt, & verſare ſumma, in animo ad Deum ſummum atque vnum bonum verſo, calcata caligine ſeu nube mutabilium. Quare, & cœtus ipſi talium *Montes pietatis* probè & propriè, à probis & doctis ſunt dicti; quod ad pietatem velut nati, actiones imprimis practicæ vitæ exercerent, bona ſua in Eccleſiarum vſus, aut eleemoſynas pauperum elargiēdo; poſtea ſpeculationi à cæterorum conſortio ſeiuncti vacarent, in montibus, ſaltibus, aut ſpeluncis degendo: ex quo & Eremitæ ſeu Anachoretæ ſunt appellati. Inter quos Diui etiam Romualdi ſectatores numerantur, qui, & monaſteria ſua de vetere Monachorum more, in montibus (reliquis ſeſe ad vrbes & oppida transferentibus) habere voluerunt: ſignificantes nimirum, illos maximè debere contemplatione aſſidua occupari, qui & loci ſolitudine ſupra cæteros, & ſitus altitudine ſeu eleuatione, & inſtituti præſcri-

Vnde dicti Eremitæ.

præſcripto, ad diuinarum rerum conſiderationem, veluti manu quodammodo ducuntur. O itaque ſapientes illos, qui ad eiuſmodi ſapientiæ domicilium, montes ſcilicet Diuinæ contemplationis, quos fortuna nullis machinis euertit, volentes confugiunt. Sapientiores, qui tam arduum conſcenſum, ita conſtanter peragunt, vt ad illum Tranquillitatis internæ ſcopum, qui verè efficit beatos, pertingant. Sapientiſſimi & vnà feliciſſimi omnium, qui decurſo eiuſmodi ſtadio, brauium quod meruerant iam acceperunt, & aliis merentibus, aut mereri volentibus, exemplo ſunt propoſiti. Verumenimuerò, cum huiuſmodi curſum, omnes omnium Religioſorum Ordines decurrant, & diuerſis quamuis interuallis diſtincti ambulent, ad eundem tamen ſcopum æqualiter colliment: idcirco D. Romualdi Anachoretas, qui non ita pridem nostris in partibus comparuêre, ſpeciali oratione celebrare, haud abs re putauimus, Anno Domini, 1606.

cum plurimi reperiantur nostrorum, qui ne audierint quidem de Camaldulensium Religiosorũ Ordine, ne dicam viderint eos, aut de Regula nouerint, habituue ipsorum.

Quid sit Religio. Est igitur Religio, ipsis Gentilibus consentientibus, virtus colendi Dei scientiam continens: quæ in eo consistit, vt doceat meritam Dijs immortalibus gratiam, iustis honoribus & sancta mente persoluere. Ab *Vnde dicti Religiosi.* ea autem religiosi & sancti dicuntur, qui in deligendo & quasi religendo cultu diuino versantur: quales apud veteres putabantur fuisse, Anaxagoras qui Periclem, Plato qui Dionem, Socrates qui Nicoclem, Plutarchus Traianum, Polybius Scipionem; atq; omnino Magi qui Persas, Brachmanæ qui Indos, Mantes Græcos, Pontifices Romanos salutaribus sapientiæ præceptis, aut quacunque religione informabant: existi- *Quid de irreligiosis veteres senserint.* mantes æternam illam atque immotam æterni Dei sententiam esse, frui diu eos bonis non posse, qui boni largitorem Deum, religioso

gioso aliquo actu venerari negligerent. Idē quoque nostræ legis primęui Antistites senserunt, & puriorem doctrinam in vno vero Deo agnoscendo, cælitùs edocti, alios Apostolos, alios Prophætas, alios Episcopos, alios item Doctores, aut Prædicatores, iuxta sacræ paginæ litteram appellarunt. Eorum autem, qui solitudini addicti, vitam hanc mortalem, inter syluarum truces feras, Angelicæ similem ducerent, Auctores seu moderatores, Hegumenos dixerunt, seu Abbates, hoc est, Monachorum patres: quamuis nunc & alijs diuersis cognominibus, pro Religionum diuersitate, eorum superiores appellentur. Omnes autem qui hæc pia dogmata sequuntur, & sese solemni votorum Religione in cōtemplationis montes ascendendo Deo obstringunt, sub his quatuor Regulis communiter militare consueuerunt, S. Basilij videlicet. S. Augustini, S. Benedicti, & S. Francisci. Paucis exceptis, qui præter has tum communi iure & antiquo, tum

Religiosorum superiores Abbates seu Patres antiquitus appellantur.

Quot Religiosorum Regulæ ab Ecclesia approbatæ.

tum ſpeciali & nouo approbatas, propriis conſtitutionibus reguntur, vt ſunt Patres Societatis IESV, Patres Carthuſienſes, & Ordo Minimorum S. Franciſci ex Paula.

Quot ſunt Religioſorum ſolemnia & communia vota.

Cæterùm quia Religionis ſtatus, eſt quædam hominum cõditio, ad perfectam charitatem conſequendam, curam omnem, operam, & ſtudium in commune conferentium: ideo quotquot Religioſorum cætus ſub his Regulis aut cõſtitutionibus ſunt, omnes pariter in eo conueniunt, vt huiuſmodi ſtudium & conatum inter ſe promoueant per Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ vota: rerum ſcilicet mundanarum immoderatam cupiditatem per abdicationem ſui ipſius tollendo: mollem ſenſuum libidinem, à voluptatum illecebris abſtinendo: & nimium propriæ voluntatis affectum, alienæ voluntati ſeſe & arbitrio ſubijciendo.

Quarè non plura quam tria.

Status ſiquidem Religionis & vitæ conditio ea eſt, qua animi tranquillitas ſeu quies comparatur, qua homo ſeſe totum diuinis

uinis

uinis obſequiis addicit ac mancipat, qua omnem denique ſubſtantiam ſuam, opes nimirum, ſenſuum voluptates, & voluntatis affectus Deo conſecrat; vnde ea quoq; quæ maxime mentem illius vexant, turbant, & diſtrahunt, facultatum videlicet ac bonorum adminiſtratio; vxoris, liberorum, ac familię gubernatio; & immodicus voluntatis appetitus, per prædicta vota cõmode diriguntur ac temperantur. Cæteræ verò vitæ aſperitates, ac diuerſarum inſtitutionũ, à diuerſis Auctoribus traditarum Obſeruationes, ad iſta tria velut ad capita & fontes ſuos reducuntur: nimirum, victus mendicato quæſitus, labor manuum, veſtitus vilis & abiectus, cibus ac potus parciſſimus, ad Paupertatem: vigiliæ, abſtinentiæ, ieiunia, ſacci, cilicia & corporis macerationes, ad Caſtitatem: ſacrarum verò litterarum lectio aſſidua, precationes, peregrinationes ad pia & religioſa loca, & cætera miſericordiæ & charitatis in proximos

Ad quas claſſes reducuntur aſperitates Religioſæ vitæ.

Quadraplex differentia Religiosorum.

officia, ad Obedientiam reuocantur. In hoc tantum differre videntur, quod aliæ monasticæ Religiones ad vitam solitariam, & ad contemplandum sunt fundatæ: quales nimirum instituere S. Basilius, Benedictus, Pachomius, Romualdus, Antonius: Aliæ, ad diuinas laudes piè & religiosè in choro decantandas, vt sunt Canonicorum Regularium Ordines: Aliæ, ad docendum publicè & priuatim alios, vt sunt Ordines Mendicantium: & Aliæ demum ad decertandum contra hostes sanctæ fidei & Religionis Christianæ, quales sunt Militares Ordines.

Camaldulenses ex quo genere Religiosorum.

Camaldulenses itaque Montis Argentini, qui paucos ante annos, liberalitate & munificentia, imò pietate & beneficentia Illustris: & Excellen: Viri D. Nicolai de Podhayce Wolski, Supremi Regni Poloniæ Marschalci in Poloniam introducti sunt, in primo Monasticorum Ordinum genere ponendi videntur: quippe qui Regulam D. Patris Benedicti professi, sanctissimi Institutoris sui

ris ſui Romualdi obſeruationes & ſtatuta amplectũtur, abq́; externa hominum notitia & conuerſatione ſecreti, in diuinarum rerum contemplatione, cum Dei amore coniuncta occupantur. Cum enim plurimæ Religioſorum familiæ D. Benedicti Regulam profiteantur, & alijs atque alijs nominibus cognominentur (vti ſunt Ciſtercienſes, Caſſinates, Oliuetenſes, Cluniacenſes, Cæleſtini, Vallis Vmbroſæ, S. Iuſtinæ. Tum quoque Militia de Calatraua, de Alcantara, de Monteſia, de Auis. atque item Milites Chriſti in Luſitania, & Milites S. Stephani Florentini in Italia) quorum ſolitariam vitam alij ſeu Eremiticam: alij communem ſeu Cænobiticam agunt. Camaldulenſes mei primum perfectionis gradum inter illos tenebunt, qui vtramq́; hanc Conſtitutionibus ſuis, quaſi ambitu quodam amplexantur & continent; & qui in Monte Argentini reſident potiorem illam & perfectiorem, quæ in contemplatione occu-

Qui Ordines ſub Regula D. Benedicti militent.

Duplex inſtitutum Religioſorum.

Quo tempore Ordo Camaldulensium cœperit.

patur, agunt. Illorum enim Patriarcham, quarto supra noningentesimum & septuagesimum à partu Virginis anno, sub Benedicto Papa VI. Ottone Imp. II. quarto itidem anno Episcopatus Honesti Rauennatis Archiepiscopi, in tanta peccatorum caligine Deus pro sua misericordia eximium sanctitatis lumen ostendit, & veterum Patrum illorum Serapionis, Euagrij, Malchi, Macarij, Amonis, atque Hilarionis exemplo inflammatum, multorum Monachorum parentem habere voluit: qui Rauennas, ex nobilissima Ducum stirpe oriundus, primo Classensis Monachus, post Anachoreta, secundus in prole Occidentalem Ecclesiam (cum primus fuisset D. Benedictus circa Annum Domini 1000.) sanctis repleuit Anachoretis, facta congregatione in Camaldulæ Monte, vnde & Ordo ipse Camaldulensis est cognominatus. Quorum alij Cœnobiticam vitam secuti, in his virtutibus se exercent, quæ ad aliorum commodum & salutem

Patria & stirps D. Romualdi.

Quare Ordo ipse sit appellatus Camaldulensis. Et cur duplex.

tem pertinent: cuiusmodi snnt opera & officia misericordiæ & pietatis in proximos. ex quo nonnulli & Apostolatum ad gentes meruêre, & insigni martyrij corona decorari: (quos inter & illi duo Fratres Andreas & Benedictus censentur, quorum memoriam Gnesnensis Ecclesia in hodiernum vsque deuotè recolit. Tum & alij quinque, regnante apud nos Boleslao Chabro in syluis à prædonibus interfecti, quorum corpora Rex Casimiriæ in Maiori Polonia condidit.) Alij verò Eremiticum rigorem & asperitatem, mundi libertati deliciisq; anteponunt, & eam vitam agunt, quæ in contemplando Deo, amando, ac perfruendo consistit, & quæ in hac vita præsenti, typũ & similitudinem gerit illius, quæ expectatur in cælo futura. Et licet vita actiua cunctis videatur esse fæcundior, vtilior, & fructuosior: cõtemplatiua nihilominus, quam agunt Montis Argentini Anachoretæ, multorum sanctorum & doctorum virorum

Poloni è Camaldulensi Ordine martyres.

Vitæ speculatiuæ excellentia.

opinione, est tutior, sedatior & lenior. illa quidem operosior & laboriosior, hæc tamen suauior & iucundior: illa humilior & demissa magis, hæc superior & altior planè.

Typus Religiosæ vitæ in sacra scriptura.

Vtraq; autem adumbrata in duabus Euangelicis sororibus, Magdalena & Martha: tum in Lia quoque & Rachele; quod illarum altera potiorem partem elegisset, harum autem pulchrior fuisset altera. Hinc de eis Gregorius Magnus. *Pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur: neque enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam, vt etiam pars Marthæ bona indicaretur.*

Homil: 14. in Ezech.

Ex qua auctoritate; tanto quis melior Religiosus habendus est, quanto minus turbarum gnarus. Nam & antiquitus paruo sapientes habebantur in precio, qui cum sapientia excellerent, vitam non amarent solitariam. Bruxillus quidem Philosophus eo tempore quo Galli Capitolium obsederant, Romam venerat & apud Camillum, inquit Pharasmanes, manserat. Is cum annos tres & de-

Lib: 10. de libertate Deorũ

& decem ſupra centum vixerit, & ex ijs ſexaginta quinque in ipſa vrbe Roma domicilium habuerit, à nemine vnquam Romano pedem porta offerre viſus erat: nemo vnum ex ipſo verbum audiuit ocioſum: nullo vnquam crimine fuerat notatus: nemini moleſtiæ aut querelæ cauſam præbuerat: tres aliquando aut quatuor annos ita exegit, vt nunquam templis excederet: frequentiùs cum dijs quam cum hominibus colloquebatur: ſeptimum & vltimũ, quod toto illo temporis ſpacio nunquam viſus eſt horam vllam perdere. Hoc paganus, & in tanta nocte Idololatriæ: quid noſtrates in luce Euangelij? & quando Imperatores, Reges, Principes ex immenſis illis gubernaculorum cotibus enauigantes, in Religioſæ vitæ portum ſeſe reciperent, depoſitisq; diadematibus Monaſticam cucullam voluntariè induerent, Hugones illi, Anaſtaſij, Theodoſij cæteriq; potentiſſimi Imperatores: tum Varemundus Caſtellæ, Ra- *Quam multi Principes Monaſticam vitam coluêre.*

marus

marus Aragoniæ, Sigibertus Britanniæ, Eltederus Murciæ, Tribellius Bulgariæ, Henricus Cypriorum, Ioannes Armeniorum, multique alij aliorum populorum Reges. Quibus addam & Aligerium Aquitaniæ, Anzelmum Mutinæ, Pietlandum Sueuiæ, Vigeſium Spoleti, Guilhelmum Vaſconiæ, potentiſſimos Dynaſtas. Vel potiùs miracula illa naturæ non homines, Silentiarios & Stylitas: quorum alter ex Epiſcopo, Anachoreta, quarto vſque ſupra centeſimum ætatis annum, migrauit ad Dominum: alter à puero adhuc, ſexaginta & octo annos, à magiſtro ſuo edoctus, & omnibus gratiæ donis repletus, in columna vixit. Quendam per triginta annos neq; locutum cum vllo, neq; à quoquam conſpectum omnino fuiſſe, ex hiſtorijs didicimus. Sed inſurgent fortaſſe Hæretici, aut noſtræ tempeſtatis Machiauellopolitici, & cum totam eiuſmodi Monachorum vitam tanquam ab humana ſocietate & conſortio alienam, planeq; abhorren-

Magnæ admirationis Eremitæ.

Quid Hæretici de Eremitis ſentiunt.

horrētem improbabunt, tum Illuſtriſſ: mei Marſchalci, inſigne pietatis factum condemnabunt, quod eiuſmodi Anachoretas è Camaldula Italiæ, in Argētini Eremum veluti coloniam aliquam, ingenti liberalitate & munificentia deduxerit; primusq; nobis vti plurima alia, tum nouum & ocioſum Religionis genus in Poloniā inuexerit, cum hominum natura, inquiunt, vtiq; ad ſocietatem & laborem facta ſit. Et Ariſtoteles ipſe ac cæteri Philoſophorum, eos vituperent & reprehendant, qui ab hominum cōgreſſu & conſuetudine abhorrent. At longe ſecus veteres Patres, & quiuis graues ſcriptores de ijs Monachis & ſenſerunt, & ſcripſerunt, poſtquam animaduerterunt eos deſiderio ſublimioris profectus cōtemplationisq; diuinæ, non Eſſenorum olim in Ægyptiacis ſolitudinibus & antris degentium errorem conſectantes, vt peruerſè quidam calumniati ſunt, ſolitudinis ſecreta ſectari, quamobrem & pręconijs eos innumeris or-

 narunt,

Iustinianus legibus suis vitā monasticam laudauit.

narunt, quin & Iustinianus ipse Imperator vitam Monasticam, vt rem sacram, ac diuinam cōmendauit. Nec est quod obijciant eos sibi ipsis tantum prodesse, non alijs.

Vtilitates Eremitarum.

Iuuant enim illi inprimis atque tuentur vniuersum genus hominum precibus suis apud Deum, vitæ exemplo, moribus, doctrina, labore, industria. Et quamuis plurimos per Dei Gratiam Religiosorum Ordines in Patria nostra habeamus, qui docendo, prædicando, diuinaq; Sacramenta administrando, vt stellæ cœlum, totam illustrant Poloniam; quis attamē inficiari audeat & è Camaldulensiū Ordine assumptos fuisse quam plurimos insigni & sanctitate & doctrina viros, ad Ecclesiastica munera obeunda, qui deinde suis successoribus atq; adeo Ecclesiæ vniuersæ multa & præclara Christianæ vitæ documenta reliquerunt in Italia, & in Polonia nostra Numine supremo fauente, sunt exhibituri. In quo ipso felicem eis successum apprecati, pijs illorum orationibus de-

bus deuoté nos commendemus, laudantes ſimul egregiam Illuſtriſſ: Marſchalci religionem in Deum, & pietatem in patriam; quod illâ ductus, vere argenteas columbas, pia ſuſpiria & lachrimas, vt oliueti virgas, ad cœleſtis Nòé arcam Diuam Genitricem (cui aſſumptæ & locus ipſe dicatus eſt) deportantes, in hoc Argentini Monte nidificauerit. Iſtâ, quod Patriam ſuam, non vſquequaque excultam, & ædificijs decoratam, ſplendidiſſimis ſtructuris, cum alibi paſſim, tum hìc ad Regiam vrbem, vbi maximus hominum, extraneorum etiam, concurſus aſſolet fieri, ingentibus ſumptibus exornare voluerit. Quem Deus Ter Opt: Max: talia indies, & maiora, molientem, noſtro ac totius Poloniæ bono, diu conſeruet incolumem.

Religio & pietas quo differunt.

DIXI.

ORATIO II.

NOn abs re ſanè Thucidides Hiſtoriam perpetuum exemplorum theſaurum & expreſſam totius vitæ humanæ imaginē, ad omnia mundi tempora congruentem atque conuenientem appellauit; ſiquidem ex ea velut è fonte aut ciſterna aliqua hauriuntur & bonorum virtutes, & improborum vitia, & vitæ humanæ variæ mutationes, progreſſus, principia & conuerſiones: quas qui ignorant ſemi infantes mihi eſſe videntur; & vt pueri ob iudicij ac mentis imbecillitatem hominem ab homine, rem â re diſtinguere non poſſunt; ſic illi, qui nullam geſtarum rerum, nullam præteritorum ſæculorum animo comprehenſam notionem tenent. Hos inter iure merito cenſendi ſunt ij quoque, qui cum totam Eremiticam vitam, tum Camaldulenſe inſtitutum, quod nuper in Poloniam ſit deductum, nuper inuentum eſſe confingunt. Idemq; friuolis quibuſ-

Vtilitas Hiſtoriæ.

Et eius ignari verè pueri,

Putant Camaldulenſes nouiter inſtitutos eſſe.

quibuſdam rationibus ſuperſtitioſum, & parum, (vt ipſi aiunt) Apoſtolicum, perfricata fronte, improbare nituntur, neſcientes quiſnam, aut quantus Romualdus fuerit; quo tempore, aut quali methodo Eremiticæ cõuerſationis inſtaurationem cœperit, aut quos illa demum auctores & inſtitutores habuerit. Age iam, quod & diligentiſſimis alioquin auctoribus adhuc incognita manet Congregatio iſta: quidam enim, qui nuper de Origine omnium Religionum libellum dedit, huius ſocietatis ne meminit quidem. E contra alius, qui etiam inſtituti Camaldulenſis laudator extitit, illos Petri Quirini diſcipulos facit; Paulum verò Iuſtinianum Coronenſis ſocietatis progenitorem, imò conditorem ac parentem, ne nominauit quidem in illo ſuo Tractatu. Quorum ego vulgarem errorẽ, ex diuinarum rerum & antiquarum ignoratione natum, quo faciliùs feliciúſq; ex animo legentium tollam, ac inclytam Mon-

De hac re vide latiùs Lucam Eremitam in Hiſt. Romualdina.

 tis Ar-

tis Argentini Congregationem à tanto opprobrio vindicē, à prima ipsius Eremiticæ vitæ institutione, ad nostram vsq; ætatem, rerum, temporumq́; seruato ordine, breuem instituam narrationem.

Primi Eremiticæ vitæ institutores.

Eremiticæ igitur Conuersationis, quam & Anachoreticam vocant Principes atque auctores, magnum Dei ministrum, ac fidelissimum seruum Heliam Tesbitem, eiusq́; discipulum Heliseum, scriptura testante nouimus extitisse: quos plurimi deinde, (filij Prophetarum appellati) periculosa hominum cōmertia fugientes secuti, vel cum Isaac in omni quiete meditari in agro desiderantes, secretiora deserti petiêre, ibidem in magna austeritate viuentes; maxime circa montem Carmeli (inter quos Ioannes etiam Baptista, in vtero matris sanctificatus, pilis camelorum indutus, locustisq́; victitans, tota permansit ætate) rudi, villosaq; veste, vel sacco cilicino contecti, permanebant vsque ad aduentum Christi, De quibus A-

Instaurator Io. Baptista.

bus Apostolus: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, & in montibus, in speluncis, & in cauernis terræ.* At post Christi aduentum, qui etiam crebro secessu desertum consecrare, multisq; miraculis solitudinem sanctificare non dedignatus est, illa perfectionis Apostolorum schola, omnia ad se traxit: qua manente, non amplius diuersa viuendi genera quęrebant pij homines, sed vt Lucas enarrat, *omnium credentium erat cor vnum, & anima vna:* nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Verum labentibus annis, Apostolisq; decedentibus, nec non multitudine fidelium in immensum crescente, cæpit iuxta Domini verbū, frigescere charitas: hincq; sua singuli quærentes, animarum vnitatem, bonorumq; communitatem paulatim deseruerunt. Ac paulò post cæpit abundare iniquitas, insurrexitq; rabies plusquā

Occasio, ex qua solitaria inter Christianos vita orta.

plusquam ferina Tyrannorum, Neronis, Decij, Maxentij, Maximini, Valeriani, aliorumq; gentilium Imperatorum, à Christianorum cæde nullibi abstinens. Hac itaque furēte in Christi fideles persecutione, multi apud Ægyptum, Thebaidam, & Palestinam martyres sancti, per varia supplicia vsque ad mortem in fide perstiterunt, coronas perpetuas, & immortalia præmia adepti. Attamen fuerunt alij, qui vel ista pertimentes, vt vult Nicephorus, vel aperto certamine, ac manifesto conflictu, dæmonibus congredi cupientes, vastos Eremi recessus penetrare non timuerunt. Inter quos non solum tempore, verùm etiam vitæ integritate primus fuit Paulus ille Thebæus, primus Eremita cognomento dictus, qui per annos nonaginta tres in profundissima Eremo perseueranter vixit, cui per idem tempus spelunca domicilium, fons limpidissimus potum, palma verò cibum & vestimentum præbuerunt. Huic coætaneus fuit

Lib: 8. cap 39. & 40. Hist: Ecclesiast.

Primus Eremita.

fuit Antonius natione Ægyptius, athleta ſanè incomparabilis in hac paleſtra, miles veteranus, anteq; ſignanus ſtrenuus. Quem omnia dæmonum territamenta, diabolicæ viſiones, frequentiſſima verbera, ac duriſſima flagella à ſancto propoſito nequaquam amouere potuerunt. Tantorum ergo ducum poſtmodum exempla ſecuti ſunt Macarij duo, ſacratiſſimi ſilentij maximi aſſertores. Item Amathas & Palemon, Beatus Ephrem, & humilitatis exemplar Hilarion. His adde Pachomium, Teonem, Arſenium, Charitonem, cum infinita ſolitariorũ multitudine; qui omni labore ſolitudinis quietem appetentes, gaudium propriæ ſalutis, ac fidei, diuino munere ſunt aſſecuti, cæteriſq; mox exempla ſublimioris vitæ ſacratioriſq; præbuerunt. Omnibus enim terrenis exuti negotijs, adhuc morãtes in corpore Angelorum imitati ſunt ſanctitatem: per quam aſcendentes faſtigia celſa virtutũ, vltra admirationem enituêre mortalium.

Anteſignani vitæ ſolitariæ.

Cæterum quia illis præscripta viuendi regula nulla fuit, sed solis seniorum exemplis ac monitis edocti, plusquam regulariter viuebant, certantes inuicem, quis officio charitatis, abstinentiæ, paupertatis, nuditatis, atque orandi virtutibus præstantior fieret: primus illis Regulam monasticæ conuersationis Basilius Magnus dedit. Quæ, cùm pro tanti auctoris reuerentia, tùm pro sermonis, vtilitatis, ac sanctitatis excellentia, ab omnibus qui in Oriente fuerant, Monachis approbata, & sine controuersia admissa est. Nam Regulam, quæ S. viro Pachomio, ab Angelo de cœlo allata dicitur, vix à paucis obseruatam fuisse legimus. Iam defuncto Basilio, statim surrexit eximius ille Spiritus sancti interpres B. Hieronymus, qui in nemore Iudeæ haud longè à Bethleem constructo Monasterio cum pluribus discipulis sibi ob Dei amorem adhærentibus, quietam atque felicem ad mortem vsque transegit vitam. Cuius instituti obseruatio vsq; in ho-

Quis primus Monachis Regulam scripserit.

D. Hieronymus monachos instituit.

in hodiernum diem manet, maxime in Hispaniæ Regnis, vbi multa, & inclyta ſunt Hieronymorum (ſic enim vocantur) Cœnobia. Inter quos propter eorum vitæ ſanctimoniam, Carolo V. Imperatori, Imperio relicto, & priuatim viuere, & mori placuit. Mox deinde Hieronymum imitatus eſt Aurelius Auguſtinus, qui in alto Africæ monte propè Hipponam ciuitatem, Eremitarum cuneos inſtruxit: inſtituit & Canonicos Regulares, ſed de quibus aliàs, nunc verò ad Occidẽtem ſtilum & oculos diuertimus: quo quaſi naturali ordine religio Monachalis in Oriẽte exorta, curſu temporis tranſlata concreuit, ramosq́; ſuos mirum in modum extendit. Quod idem Deus miſericordia motus, maxima prouidentia efficere curauit, vt nuſquam piè viuendi opportunitas fidelibus ſuis deeſſet, & calefacto ſatis Orientali ſolo, naturali curſu ſolem miſit in Occidentem, qui luceat perpetuò, ardeat, ac gelida pectora accendat mortalium. *Poſt illum D. Auguſtinus.*

 Sol au-

Sol autem iste fuit fulgentissimus D. Pater Benedictus, splendore gratiæ, virtutum lumine, ac spirituali benedictione illustratus, quem nobis olim vetustissima vrbs Sabinorum Nursia feliciter dedit, frigida feruentem animo: alta, humilem: aspera, blandũ: rudis, sapientem alumnum: vt qui ætate prouectus, doctrina ornatus, forti certamine vitiorum, tentationumq; victor gloriosus, diuturno insuper magisterio mores discipulorum callens, cùm solitariorum, tùm aliorum Monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermoneq; luculentam cõscripsit: ex quo & Pater omnium Occidentalium Monachorum iustissimè est appellatus. Breui enim tempore eius beata familia in omni perfectione ac sanctitate vitæ florens, per totam ferè Europam dilatata fuit; adeoq; aucta & propagata, vt si credi potest, non desit qui affirmet, Benedicti monasteria septem supra triginta millia numerũ excessisse. Quod omnino mirum videri non debet,

Tandem D. Benedictus.

A Zacharia Põtifice in confirmatione Regulæ suæ.

Monasteria Benedictina 37000.

debet, si hodie vel cohabitata, vel diruta, vel etiam alijs religiosorum familijs attributa Monasteriorum ædificia consideremus. Verumtamen postquam labentibus annis, prima illa obseruantiæ norma, ac charitatis refriguit feruor, ecce iterum quasi sol inter nebulas, & quasi rosa inter spinas effulsit sanctissimus Vir Romualdus, qui innumeris stipatus discipulis, Eremiticam vitam instituit, aut verius neglectam iam in Occiduis partibus solitudinem restaurauit: & cum plurima alia Monasteria erexit, tum celebre illud Camaldulum. Cum enim suprema Apennini iuga transiens, inuenisset Malduli nobilis viri Aretini, in vertice montis campum, & loci dispositionem, situsq; amœnitatem intueretur, delectatione affectus senex obdormiuit, & in spiritu raptus visionem vidit, scalam scilicet ad instar Iacob cęlos pertingentem, & per eam Monachorum multitudinem ascendere. Quare expergefactus, inq; se reuersus illam iucundissi-

Neglectam Benedicti Regulã instaurat D. Romualdus.

A campo Malduli, Camaldulum dictum.

dissimam mansionem seruis suis præparasse Dominum cognouit, & Religionis caput exinde eō loci fundauit, sub D. Benedicti Regula Anachoretas prudentissimus Archimandrita retinens. Quæ quidem Eremus Camaldulēsis, ab ipso fundationis suæ principio in hunc vsque diem, in sua primæua institutione, iugi perseuerantia constantissima mirabiliter permansit; immò cursu temporis magis ac magis adaucta, roborata atq; stabilita dignoscitur. Monachorum verò institutio, per varios status decursa, hodie tandem in certam, eamq; obseruantissimam Congregationem redacta, maximè in Italia floret, sub nomine Camalduli in commune viuens, confirmata per Leonem Nonum, & Nicolaum Secundum eius successorem, nec non Alexandrum Secundum. Sed præcipuè tamē societas Eremitica Coronensium Romualdinorū, quæ Paulo Iustiniano auctore dilatatà, celeri augmēto congregationem nouam, sede Apostolica per-

Camaldulenses Monachi maximè in Italia florent.

Anno ML.

An. MDXX 22. August.

ea permittente inſtituit. Camaldulenſes namque Eremitæ, bellis Italiam diutiſſimè turbantibus vndique attriti & afflicti, ſtatuerant in poſterum ſolo Camaldulenſi Eremitorio contenti eſſe, non reſtaurando euerſa, neque excitando noua. Quod cùm pluribus alijs, tùm Paulo Iuſtiniano viro prudentiſſimo multopere diſplicuerat, communis boni viam ita mortalibus claudi, nec non animas lucrandi occaſiones per id tolli exiſtimans. Quare ſocios viros deuotiſſimos nactus, Camalduloq́; egreſſus, plurima de nouo Eremitoria erexit, plurimosq́; à via peccati conuertit, quos deinde ſecum ad Religionem traxit, ac habitu mutato, à blanditijs ſæculi ad duriſſimam pænitentiam compulit. Cuius quidem inſtituti FF. & in noſtri Argentini Montis verticem, liberalitate Illuſtriſ. Wolſcij, Supremi Regni Poloniæ Marſchalci tranſlati, tanta etiamnũ cura, tantaq́; vigilantia, maiorum ſuorum traditiones obſeruant, vt nulla inter eos in

Camaldulenſes Eremitæ turbis bellicis attriti, per Paulum Iuſtinianum dilatantur.

Felicitas Eremitarum Camaldulenſium.

tanta

tanta nationum diuersitate (sunt enim in vna Eremo Itali, Germani, Poloni, Syllesitæ, Cretenses &c.) ingeniorumq; varietate, viuendi diuersitas, aut morum discrepantia facile inueniri potuerit: sed omnes vnanimiter præscripta sequi, studiose seniorum mandata adimplere, pacem seruare, & custodire vnitatem quam diligentissimè contendunt. Qui idem & inuisibilium hostium occulta molimina labore seu occupatione assidua, & infernalium furiarum versutas insidias inuicta constantia ad nihilum redigunt. *Et quibus* vt cum Apostolo dicam, *non est iam colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates, contra mundi rectores tenebrarum harum* vt decertato tandem, vel ipso rationis lumine indicante, certamine bono, videant victores denique in lumine lumen, & perfruantur fulgidissima luce, in splendoribus sanctorum.

DIXI.

ORA-

ORATIO III

INnata eſt ea rebus omnibus proprietas, vt in ſimplicitate naturæ exortæ, paulatim creſcant ad iuſtam formæ menſuram; qua expleta, rurſus decreſcere incipiant; & niſi reparatione quadam inſtaurentur, ad interitum celeriter pergant. Hoc cùm in alijs cunctis, tum in cõmunitatibns quoque hominum, ſeu congregationibus, tam ſpiritualibus, quam etiam ſæcularibus manifeſtò videmus. Nam quis Aſſyriorum atq; Perſarum Imperium deleuit? Quis Athenienſium opes euertit? Quis potentiam Macędonum excidit? Quis Romanorum magnitudinem proſtrauit? nihil aliud certè, quam natura rerum humanarum, qua nihil eſt in terris imbecillius. Cuius miſera hæc cõditio, non corporeis modo, ſed & his quę corpore carent, quæue ſpiritus ſunt, plerumque ineſſe ſolet. Sic de limo terræ, in virum perfectum ſublimatus Adam, parua

Rerum natura imbecillis eſt.

Etiam incorporea afficiens.

mora,

mora, gula illectus, in mortis corruit miseriam. Sic aurea illa hominum ætas vitio consentiens, diluuij aquis submersa est. Sic dilecta Deo Moysi Synagoga in hypocrisim declinans, facta est abominatio. Sic defecit nascentis Ecclesiæ ignita charitas, Confessorum spes seu innocentia vitæ, Martyrũ fides & inuicta constantia, Sanctorum Patrum ardentissima deuotio, Anachoretarum austeritas, omnisq; persectionis operatio. Sic euanuit Magni Basilij regularis doctrina: sic in varia dissecta Augustini Eremitica institutio cernitur. Quid moror? nisi toties reformata fuisset veneranda Benedicti progenies, nisi tot instauratores habuerit olim Monastica institutio: regula eius sanctissima proculdubiò abolita foret.

Ergo & Camaldulensium Ordinem.

Nil ergo mirum si & Camaldulensis Religio, (quæ tamen semper sui Romualdi vera æmulatrix fuit, atque primæ institutionis tenacissima obseruatrix) per venerabilem virum Paulum Iustinianum Venetum quodam-

dammodo instaurata, seu veriùs dilatata in Historijs legatur. Ita, vt etiam nostras in oras paucos ante annos liberalitate Illustriss: Marschalci deuenerit, & in claro Argentini monte prope Cracouiam inclytum Eremitorium extruxerit. Quod ipsum quomodo factum fuerit, iuxta breuitatem qua vtimur, præsenti oratione, commemorare, consentaneum putauimus.

Cum itaque ea sit hominum natura, vt deorsum ad vitia labi consuescant, idcirco Beatissimus Romualdus, Orientalium Anachoretarum, atque optimi magistri sui D. Benedicti diligētissimus imitator, antiquatam penè iam dissolutione Monachorum illius Regulam, multo cum sudore instaurans, ne quis vitæ austeritate à Dei seruitio excluderetur, prudentissimo consilio, robustos corpore & animo feruentes in solitudine: imbecilles verò ac debiles in claustrali regulariq; obseruantia retinebat. Vtrosque autem & Monachos & Eremitas

Duplices fecit S. Romualdus Religiosos, Eremitas & Cœnobitas.

in ſpiritus vnitate, vnum & idem eſſe volebat; inque ſubſtantia charitatis, regiminis ratione, atque communitate vitæ vnitos, indiuiſos, & inſeparabiles exoptans, ſub vno eodemq; Patre, ſiue Prælato regente, *Sub vno tamen Rectore.* qui Maior ſeu Generalis dicitur, illos à morte ſua reliquit. Ad quem finem, diuino ſanè *Et vno inſigni Religionis.* inſtinctu, & inſigne vtriſq; commune (vulgo arma) excogitauit; duarum videlicet columbarum in eodem calice ſimul & ſemel bibentium. Cæterùm Monachi deficiente Romualdi reſplendentiſſima præſentia, propter varias & varias incommoditates, horrida ſyluarum habitacula, poſt aliquod tempus deſeruêre, multiplicatique *Monachi Camaldulenſes ſucceſſiue inter ſe diuiſi ſunt.* in vrbibus nimis, fecêre bipartitam religionem ſuam Cõuentualium videlicet & Obſeruantium: quorum illi, vt aberrantes à *Conuentuales Camaldulenſes extirpati ſunt.* Regula & inſtitutis maiorum à Pio V. Pontifice, penitus ſunt extirpati: iſti verò in certam eamq; obſeruantiſſimam Congregationem, quæ dicitur S. Michaëlis Murani, poſt

post multas turbas & tempestates tandem redacti, inter alias Religiosorum cohortes, maximè florent. Eremitæ verò sine capite, sineq; Rectore Romualdo relicti, breui defecerunt, Italiam vniuersam bellis tum & prædonum ex eo turmis indesinẽter vexantibus: quorum Eremitoria à multis sæculis, non solum derelicta, sed etiam diruta iacent. Ideoq; ex omnibus Eremis ab ipso fundatore conditis, sola Camaldulensis integra, & florens superfuit: indiesq́, solitariorum numero accrescente, atque vigente, in ea rigidissima obseruantia, in maiori reuerentia, seu auctoritate ab omnibus tum monachis, tum sæcularibus habita est. Cuius seniores Patres iam dudum proposuerant noua loca de cætero non acceptare, neq; nouas Eremos denuò cõdere: eò quòd vitæ huius Eremiticæ austeritas, experientia docente, non facile à multis etiam volentibus, capi possit. Idq; maximè hac nostra ætate, in qua nil præter lautissimas epulas,

Eremitæ bellorum tempestatibus attriti.

Solum Camaldulum claruit.

delicatas veſtes, ac pernicioſas delicias hominibus placent. Quæ ſuperſtitioſa & diffidentiæ plena Patrum determinatio, cum Paulo Iuſtiniano viro ſanctiſſimo, tum etiã alijs multis meliora ſentientibus parum æqua viſa eſt: ſiquidem eandem rationem retinendæ obſeruantiæ in ſingulis (licet pluribus) locis haberi poſſe, quæ in vno tantũ habetur, numeroſa aliarum Religionum Cœnobia paſſim nos docent. Quinimò & ipſe Beatiſſimus Romualdus, per totam vitam ſuam, nouas Eremos condere, & ſuam Religionem dilatare anxiè conatus eſt: & vt Petrus Damianus autumat, Mundum vniuerſum in Eremum, & omnes homines in Eremitas conuertere anhælabat. Sancto igitur zelo plenus Paulus noſter, conſultis ſuper hac re viris innocentiſſimis, Camaldulum relinquit, ſedem Apoſtolicam adit & à Leone X. Pontifice facultatem obtinet, *licere ſibi & ſocijs adhærentibus inſtitutum Eremiticum Camaldulenſe in Italia, & vbique terrarum,*

Non incommodat dilatari Religionem.

Vitæ D. Romualdi ſcriptor & conterraneus, imò & coætaneus.

Comprobarunt ſuo Diploma poſtea Adria.

varum, citra & vltra mare, ad Indos vsque siue Antipodas ad libitum dilatare, noua Eremitoria condere, erecta suscipere, seu de manu largientium acceptare. Item venientes ad se nouitios recipere, & habitu induere, eorumq́ professiones admittere: nec non omnia sibi bene visa tam in victu, quàm vestitu statuere, ordinare, corrigere, restringere, atq; mutare. Dummodo à substantialibus Regulæ non deuietur. Ergo agit, exultat vt gigas ad currendam viam, & solitariæ militiæ insignia tyronibus suis exponit, noua Eremitoria erigit, constitutiones vitæ solitariæ sancit, ac multos passim vitæ exemplo ac sanctitate ad eorum obseruantiam pertrahit; præcipuè verò Hieronymum Suessanum innocentissimum, Nicolaum Triuisanum abstinentissimum, Augustinũ Bassanensem doctissimum, Petrum Fanensem ieiunijs, cilicio & disciplinis additissimum, tum Iustinianum Bergomensem virum sanctissimum, aliosq; miræ obseruantiæ & silentij, quibus cum nouam societatem Coronensem postea appellatam propagauit.

nus VI. Clemens VII. & Paulus III.

Iustinianus Eremitas Camaldulenses dilatat.

Societatem Coronensem instituit.

pagauit. Dictam sic post obitū illius, quod in Montis nimirum Coronæ Eremo, summi Patres totius Religionis rectores: nempe Maior, Visitatores, & loci eiusdem Prior, penes quos totius Regiminis dignitas cōsistit, resideant. Seniores item, qui diuturnæ perseuerantiæ experimēto, alios & verbo & exemplo, necnon consilio docere, instruere, ac in strictiori vita retinere nouerint. Atque sic Ordo Camaldulensis tres nunc Religiosorum species continet, ipsos videlicet Eremitas, qui in sacra Camalduli Eremo resident, & Congregationē Monachorum, S. Michaëlis Murani: nec non societatem Eremitarum S. Romualdi Montis Coronę: quæ anno MDXX. initium habuit, & nostra ætate in Poloniam translata, secundam nunc iam Eremum, his propè lapsis diebus in Rytuani acquisiuit, auxilijs & magnificis largitionibus Illustriss: Comitis Tencinij Palatini Cracouiensis, velut Coloniam quandam è monte Argentini deductam;

In monte Coronæ Generalis Eremitarum Camaldulensium debet residere.

Triplex Camaldulensiū Ordo.

1604

Secunda Eremus in Polonia

ctam; quæ indies domunculis & alijs necessarijs ædificijs; iuxta morem Eremitarũ constructis mirabiliter augetur. Sed magis in rigida regulari obseruantia, hoc est, in silentio inuiolabili, ieiunijs perpetuis, patientia & laboribus assiduis, continuaq; oratione & contemplatione, vt iterum dicas, reuixisse fortem illum Antonium: resurrexisse abstinentiæ typum humilitatisque exemplar Hilarionem: denuò apparuisse silentes Macharios: aut iterum conuersatos in terris Ephrem, Teonem, Ammonam, atque Serapionem cum reliqua sanctorum Patrum cohorte. Quod ipsum sanè in causa est, vt in tanta quiete, inq; tanta animorum vnitate atq; tranquillitate, non in Italia solum sed in Polonia etiam nostra hodie in hac sancta societate commoretur: sic Deo Opt: Max: per suam misericordiam annuente.

DIXI.

F ORA-

Tertia Eremus in Polonia apud Varsauia. D. 1642 ex fundatione Ser^mi Vladisla[i] Regis 4. et consensu Ordinum Regni

ORATIO IV.

Octauianus Imperator, & virtute præstantiſſimus, & ęmulorum odijs mirificè obnoxius, cum à familiaribus interrogaretur, cur benè de omnibus merendo multorum tolerarct calumnias? Reſpõdit, ego amici, qui vrbem ab hoſtibus liberaui, etiam maleuolorum linguas liberatas eſſe volui, vt quicquid liberet loquerentur. Nõ enim æquum eſt, vt ſaxis de libertate gloriantibus vinctas conſtrinctaſq; ſeſe eſſe linguæ conquerantur. Quibus verbis animi generoſitatem prudentiamq́; optimus Imperator ſatis declarauit, quod ſuperfluas maleuolorũ obtrectationes floccifaceret: cum regula ſit generalis, vitia ſemper patronos parere, virtutes verò perpetuò æmulos nutrire. Quod Heroicum Imperatoris dictum ſi cui alij iuſtius cõuenire putarim, tum Camaldulenſium Eremitarum Fratribus, qui nuper in Poloniam deducti, & omni-

Generoſum reſponſum.

Verus Aphoriſmus.

omnibus humilitate ſua precibusq́; pijs inſeruire volentes, paſſim à rudibus, & ſui inſtituti ignaris hominibus, contumelioſè afficiuntur. Dicunt enim, nullam ab illis fideli populo emanare doctrinam, nullam pauperibus ſubuentionem, nullam tandem tribulatis ſiue oppreſſis accedere conſolationem: quinimò addunt in hoc genere vitæ ocioſos fieri homines, phantaſticos, melancholicos, laboris impatiẽtes, & quaſi ſylueſtres onagros, humani conſortij oſores: atq; adeò contra humanitatis iura naturalemq́; æquitatem, ſolos ſolis ac ſibi ipſis viuentes infrugiferam ducere vitam. Quorum ego peruerſam opinionem calumniandiq́; ſtudium vt penitus tollam, tantorum Heroum præcelſas virtutes demonſtrare, vel hac oratione propoſui, explicata eorundem victitandi ratione, & exercitationibus. Siquidem calumniatores rarò in viles & ſui ſimiles telum linguæ armant aut exerunt, ſed in eos tantùm, quos virtute, doctrina,

Conuitia in Camaldulenſes.

 aut

aut qua alia laude alios vident anteire.

Vniuersæ igitur solitariæ militiæ ratio in habitu & habitatione, in victu & exercitatione potissimum consistit: nam alia cuncta ab his, tanquam riuuli à fonte defluunt: eoq; singula quasi species sub genere suo veniunt collocanda. Quare si Cassiano, reliquisq; antiquioribus, qui hac de re scripserunt, fides aliqua adhibenda est, manifestũ erit inter Ægyptios atq; Thebaidis Patres, nullam fuisse certam determinatamq; vestimentorum formam. Sed vnusquisque ex his rebus, quæ sibi parare poterat, ea vtebatur veste, quæ corpus contegeret tantùm, ac nuditatis verecundiam, frigorisq; iniuriam repelleret, nulla autẽ vanitatis iactantięue seminaria enutriret. Hinc factum est, vt alter lineis, alter laneis: hic melioribus, ille vilioribus vestibus vteretur: quin & eorum multi sago cilicino, lineoue; multi melote; non pauci caprarum pilis tegebãtur: multis eorũ strictus cucullus, quibusdam colobium in

In quo consistit Eremitica vita.

Antiquis Patribus vestes vilissimæ erant.

um in

um in vſu erat: pleriq; mauorte (hoc eſt breui palliolo) nec non rebrachiatorio vtentes. Omnes tamen, quod, valdè mirabile erat, in iſta varietate & paupertati, & cõformitati mirum in modum ſtudebant: illud ſcilicet Apoſtoli tenaciter obſeruantes: *habentes alimenta & operimenta, his contenti ſimus.* Proinde & ſanctiſſimus Religionis huius Camaldulenſis fundator Romualdus, nec ſibi nec diſcipulis ſuis certam ſtatuit amictus qualitatem, ſed his ſemper vſus eſt, quę iuxta D. Benedicti regulam. vilius & commodius parari videbantur. Succedentibus attamen tẽporibus, placuit Religionis præſidẽtibus, præcipuè Paulo Iuſtiniano, aliiſq; poſt eum ſuccedẽtibus albo colore vti: hoc eſt palliolo graui ac rudiſſimo ſine aliquo ornamento ad pectus ligneo globo coniuncto (quale olim deferebat Helias, cum aſſumptus eſt) in omni ſimplicitate. Sic tunicella, ſcapularium quoque, cui ſtrictiſſimus cucullus ſiue cappucium conſuitur. Tunica in-

Habitus Camaldulenſium Eremitarum.

ca insuper, quæ totum corpus tegit, ex panno sui natura vilissimo (non tamen ex grisso, vt olim) dari solet: quæ sacerdotibus ad pedes vsque honestatis causa descendit: conuersis tamen atq; commissis breuiori mensura eandem porrigi, vsus habet. Et hæc est paupertatis Eremiticæ in amictu inuiolabilis obseruatio; quia veros solitudinis cultores, nuditas, pauper, vilissimaq́; vestis, resarcita millies, ac pannosa tunica summoperè ornat, plus quam pelliculæ lenes, & calidæ, aut panni subtiles & pretiosi. Quemadmodum autem in vestibus paupertas pijs placuit sẽper hominibus; sic humilis abiectaq́; habitatio nunquam displicuit, sed in casis, rupibus perfossis, in speluncis, in tugurijs, ex luto, stramentis, arundinibus, vel similibus rebus constructis, siue contextis, alacres vitam ducebant. Imò multos fuisse legimus deserti habitatores, qui omni habitaculo carentes, in asperrima pænitentia syluas peragrantes, vitam peregerunt: quos

Habitationes primæ ætatis Eremitarum.

inter

inter Suatocopius quoque ... rauiæ Rex, etsi in secunda Eremitarum ætate, numeratur. Is victus in prælio ab Arnolpho Imp. clam sese pugnæ subtraxit, atq; *Aeneas Sylui Cap. 13. Hi[st.] Boemicæ.* vt erat incognitus, salutem fuga solus quæsiuit: quumq; ad montem venisset, cui Sambri nomen est, abiectis armis ac equo dimisso, pedibus iter fecit, & tanquam viator inops vastissimam ingressus Eremum, tam diu pomis atque herbarum radicibus vitã sustentauit, donec tres Eremi cultores obuios habuit, quibus sese adiungens vsque ad extremum vitæ perseuerauit incognitus, patienter ac sedato animo incõmoda quæque ferens; Vbi verò obitus adfuit, accersitis Eremitis, nondum, inquit, quis fuerim nouistis. Rex ego Morauorum prælio victus, ad vos confugi, & regiam vitam & priuatam expertus morior; nulla regni fortuna est tranquillitati Eremi præferenda: hic securus somnus, dulces herbarum radices atq; vndas efficit: ibi curæ atq; pericula, nullum

nullum cibum, nullum potum non amarũ reddunt. Quod vitæ mihi fata dederunt, apud vos felix peregi: in regno quicquid eius transactum est, mors verius quam vita fuit. Sepelite me hic, postquam anima corpus reliquerit, Morauiamq; deinde petentes, filio meo, si adhuc viuit, hæc nunciate. Atq, his dictis vita excessit. O felix anima, ô beata solitudo, quæ pro temporaneis æterna pallatia tribuis, quæ inter syluarum densitates Regum excelsas turres constituis, & quæ ipsos etiam Reges, omni terreno solatio destitutos, sola spiritus consolatione contentos libentissimè latitare facis. Vnde Carolum V. dicere solitum scimus, se resignato Imperio plus voluptatis & delectationis in sua Monastica solitudine vno die percepisse, quam ex omnibus suis victorijs & triumphis, quibus præceteris felix habitus fuit. Sed ne præmissum ordinem videamur præterire, Paulus Iustinianus, per omnia beati Romualdi vestigia sequens, quẽ sciebat

Caroli V. Imp. de vita solitaria dictum.

ſciebat ambitioſas cellas abhorruiſſe ſemper, easq; in Eremo Bifurci aliquando intrare noluiſſe: ideo auctoris ſui humilitatē affectans, foramina potiùs cum ſuis habitare elegit: donec tractu temporis ad iuſtum ſanctitatis modum rigorem illum, Patres diſcreta conſideratione deduxiſſent, nunc ergo diſtinctæ inuicem domunculæ cum interpoſitis hortulis, magnum præbent ornamentum diſtinctæ ſingulæ in tres manſiunculas, quarum prima veſtibulum eſt, ad cuius leuam camerula parua focum, lectulumque ſimul continens: ad dexteram lignile, in quo & alia neceſſaria habentur. Quicquid tamen in priuata cella ſenioris permiſſu retinent Eremitæ, commune omnibus eſſe debet, & alter alteri indigenti, ſuperiore ſciente id ipſum communicare tenetur. Quod ad victum verò ſeu cibi capiendi modum attinet, multi veterum Patrum ex ſolis leguminibus, tùm coctis, tùm crudis, ſeu arborum fructibus victitaſſe

Eremitarum Camuldulenſium Habitationes.

ctitasse apud idoneos auctores leguntur: plurimi tantæ abstinentiæ, vt impossibilis nobis fiat huiusmodi obseruatio. Inter Camaldulenses tamen, cum in pane & aqua tantùm, addito sale, ieiunatur, tunc abstinentia nuncupatur: carnes autem manducare ab ipso Religionis exordio per ipsum Romualdum fundatorem prohibitum extat, & in hunc vsq; diem inuiolabiliter obseruatum. Nec piscium esca quotidie ministratur, sed certis & statis temporibus tantum, idq; sex vnciarum modò pondus habens. Conuersatio denique Eremitarum, hæc est, corporis & animi exercitatio, perpetui silentij, nisi cum senioris expresso cõsensu obseruatio: habitatio intra septa Eremi assidua, Psalmorum & orationum iuge exercitium, frequens vsus Sacramẽtorum, quotidiana sacrorum, aliorumue piorum librorum lectio, & labor deniq; manuũ, cum dato solito signo, ad designatum locum cõuenire iubetur; nisi infirmitas, aliudue iustum

Victus ratio apud Camaldulenses.

Exercitia Eremitica.

ſtum impedimentum excuſſet. Nullus tamen eſt, qui in aliquo honeſto exercitij genere nimis quam libẽs, priuatim etiam non occupetur. Adeſt & erga infirmos obſequium atque in debiles pietas: tum in peregrinos hoſpitalitas, atque charitas in pauperes: quam D. Pater Benedictus ſuis diſcipulis ſectandam, non frigidis verbis commendauit. Eam ſumma diligentia ad ſe venientibus exhibuit Romualdus: quam & ſucceſſoribus ſuis præcipuè obſeruandam tradidit, adeò vt non ob alium finem hoſpitium Fontisboni ipſe ædificauerit. Cuius exemplo aptiſſimum iuxtà communem cuiuſque Eremi portam, nec longè ab Eccleſia, hoſpitibus conſtructum cernitur, vbi hoſpitibus ab ipſis Fratribus ad id deputatis læta fronte inſeruitur, & egenis vberiori ſumptu ſubuenitur ita, vt plus in hoſpites ac pauperes ſocietas Eremitarum elargiatur, quam in alendis, ſuſtinendiſue Fratrũ familijs conſumere ſoleat. Hic igitur eſt *Hoſpitalitatis virtus.*

Ordo

Ordo FF. Eremitarũ Camaldulensiũ, quem in Poloniam nostram nuper delatum videmus; hæc progenies Romualdina, quę Mõtem Argentini beneficentia Wolscij occupauit, hoc institutum Coronense, quod antea nobis, imò pluribus alijs etiam politioris litteraturæ viris, incognitum erat: quod nos sæuiente peste ibidem morantes pro nostri ingenioli modulo hac tenui narratione illustrauimus, ad laudem Triadis indiuiduæ, cui gloria & honor in myriades sæculorum.

D I X I.